

R. P. Petrus Plum (1879-1938)

(*Prov. Germ. Inf.*)



Die 9 Iunii 1938 a supremo vitae nostrae Domino e collegio Aquisgranensi in domum aeternitatis suae inopinato, ast optime praeparatus P. Petrus Plum translatus est. Exsequiis et sepulturae quamplurimi variarum domuum confratres, sacerdotes, religiosi et religiosae interfuerunt, necnon permulti patriae civitatis Aquisgranensis cives ad venerati civis funus convolarunt.

Defunctus confrater, natus in Münsterbusch prope Aquisgranum d. 13 Mart. 1879, annis puerilibus propter ingenii alacritatem morumque candorem ludimagistris acceptissimus fuit.

A suo parochio R. D. Berg, qui duas ecclesias parochiales, alteram in suburbio Forst, alteram in ipsa « urbe regali » Aquisgrano S. Crucis sacram aedificavit, in iuvenatum Vaalsensem haud procul ab urbe situm missus, magna sollertia studiis humanioribus vacavit, quibus absolutis mense Augusto 1898 novitiatum Epternacensem ingressus est.

Anno sequenti, postquam d. 14 Sept. professione religiosa Deo sese et Congregationi integrum mancipavit, in altiorum studiorum collegio tunc temporis Treviris exstante per quadriennium ac deinde in novo collegio Geistingen (hodie Hennef) studiis philosophicis et theologis incubuit, uberrimo cum fructu, atque ab E^mo Cardinali Fischer, Archiepiscopo Coloniensi, die 21 Septembris 1904 sacerdotio initiatus est.

Iunioris theologi P. Plum facultates ingenii scientiaeque thesaurus cum Superiores perspecta haberent, eum e studentatu vix egressum theologiae dogmaticae Lectorem constituerunt, quo munere gravissimo tredecim per annos magno cum studio et amore flagranti functus est, simul etiam per annos decem novitiorum laicorum Magister. Anno vero 1918 Praefectus clericorum renunciatus, ipsis in excolendis vitae religiosae sacerdotalisque virtutibus doctorem egregium ducemque praevium sese exhibuit.

Interea, quantum ei licuit, etiam laboribus apostolicis operam navavit (eloquentia quippe haud communi a Deo ditatus erat); quinimmo per tempus aliquod in Poloniam contendit illius gentis linguam disciturus in commodum multorum Polonorum, in fodinis carbonariis Westfaliae illo

tempore laborantium, quanquam hac scientia postea potius usus est ad adiuvandos in addiscenda difficili lingua confratres iuniores.

Cum anno 1920 Provinciae iuvenatus a Vaals Bonnam translatus esset, in nominationibus anni sequentis Patri Plum novi domicilli Directoratus demandatus est, quod munus, habita praesertim ratione tum instituti novum novae studiorum ordinationis, multis implexum erat curis et difficultatibus; ast eo feliciter perventum est, ut iuvenatus a gubernio civili ut schola gymnasialis cum iure examina maturitatis instituendi agnosceretur. Aedificium etiam notabiliter ampliatum est, ut ducentis iuvenibus suscipiendis facile sufficeret.

Anno 1930, cum vires confratris iam e corde praesertim laborantis imminutae essent, Luxemburgum ad Magistri clericorum gravissimum officium vocatus est, quod per quatuor adhuc annos omni zelo et diligentia gerens alumnos iuvenes spiritu S. P. N. Alfonsi imbuere satagit, ita ut triginta fere annos vires, ingenium omnemque sollicitudinem informandae et educandae iuventuti Provinciae nostrae insumperit. Tantopere simul in gerendis gravissimis muneribus suis sese amabilem animoque in omnes promptissimum exhibuit, ut iure meritis sit, cui alumni nostri aliique confratres sincere confiderent animumque gratissimum exhiberent.

Quidam religiosus, qui olim in iuvenatu Bonnensi Patris Plum moderamine usus fuerat, audita eius morte haec scripsit verba, multorum aliorum similes sensus exprimentia: «In Patre Plum animae meae partem amitto; erat enim mihi plus quam pater et amicus, et imago eius semper in vita me comitabatur. Congregatio virum precationis amittit, et benignum Cor Iesu eum totum ad se attraxisse putandum est. In animo meo Patris Plum memoria nunquam obliterabitur».

Anno denique 1934, cum apoplexia correptus esset, laboribus finis impositus est. Graviter decumbens, e claudis sinistri lateris membris, e corde, capite et, quod durissimum ipsi erat, animi angoribus multa passus est. Hoc modo in ultima passionis schola servum suum Deus ab humanae conversationis fragilitatibus purgavit praeparavitque, ut tamquam religiosus observantissimus, operarius strenuus, confrater amabilis coronam gloriae acciperet.

Cum tamen paulatim praeter omnium opinionem, confratrum et Sororum nosocomii orationibus adiutus, multo melius se habere coepisset, ultimum vitae spatium Aquisgrani transegit, in commodum novitiatus nostri doctrinam asceticam scripto explanans, aliquibus religiosarum communitatibus conferentias spirituales tradens ipsasque uti confessarius in via perfectionis dirigens. Itaque carissimus P. Petrus Plum insignem inter eos, ut speramus, iam nunc locum obtinet in caelo, qui *fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates*, propterea quod in vita *ad iustitiam* erudierunt *multos* (Dan. 12, 3).